

quod in *Thesi* ponitur, per omnem ἐξήγησιν postmodum
exponitur.

IX.

Universa Christologia juxta Scripturam *Authenticam*,
& doctrinam Theologicam duo complectitur. *Primo Christologicam* ὀνοματολογίαν, *secundo Christologicam* πνευματολογίαν.
Prior nomina Salvatoris, posterior ejus *Mysteria* persequi-
tur. Nomina Salvatoris juxta Scripturam satis multa, sa-
tis magna, vel ponderosa, juxta communem Christologiam
adducuntur, & variis modis distribuuntur; sicut alia *Es-*
sentialia vocantur, & vel ad divinam, vel ad humanam na-
turam referuntur; Alia *Personalia*, it. alia *Officialia* &c. Sic
itidem circa *Compendium* hoc primitivum varia *Seminis*
Mulieris producuntur, & ad pias meditationes studiosis
lectoribus offeruntur, qualia sunt respectu divinæ naturæ
tum *Elohim* dicens, tum *Verbum*. Siquidem juxta *Johannis*
interpretationem, Joh. I. 1. & 14. *Verbum* creans per omnes
dies creationis notanter allegatur, & tanquam *faciens* ad
ipsum opus *Creationis*, juxta textum *Mosaicum* applica-
tur. Siquidem *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*, sunt *Elohim*
Creator, Gen. I. 1. & idem *unus Elohim*, per totum sextidu-
um *Creationis* per *Elohim*, dicendo *creantem*, *Patrem*, *Faci-*
endo Creantem, *Filium*, *Videndo Creantem*, *Spiritum Sanctum*,
producitur atque distinguitur. *Filius* etiam tanquam *E-*
lohim secundus, Gen. II. 3. & tanquam λόγος *predicans*, *so-*
nans, & in horto *Paradisi resonans*, *predicans*, *prophetans*, *an-*
nuncians, &c. Gen. III. 8. tanquam *Vox & Verbum Patris* re-
ducitur, & introducitur; it. *Jehova Elohim* sæpius, Gen.
II. & III. sæpius repetitur Cap. IV. 1. ut *Jehova* personalis,
prout personaliter cum *Viro* vel *homine* conjungitur,
& cum eodem personaliter idem esse dicitur, & unum
idem confessionis salutaris *Objectum* constituitur. It. ratio-
ne *humana nature* vocatur *Semen Mulieris*, *humani Calcanei*
posses-